



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Causa enim Flaviani connexa erat quæstioni fidei, ut docet idem Leo. Et Valentinianus aut Flaviani depositionem processisse ex quæstione fidei. Videbat enim non aliter revisione consensuros ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

repellat aut mitiget ne aliquid ultra sit vel in fide dubium vel in caritate divisum, convenientibus utique orientalium provinciarum Episcopis.

V. Sed Leonem ea de causa voluisse Flaviani negotium in Concilio generali tractare, quod quaestioni fidei connexum esset, docent verba haec ex eadem epistola: *Talemque ab ipso, id est, Dioscuro, prolata esse sententiam, ut dum homo unus, id est, Flavianus, imperitur, in omnem Ecclesiam servetur. Quod nosti ab apostolica sede directi adeo impium & catholicae fidei esse contrarium viderunt ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli.* Ob hoc ipsum Valentinianus Imperator in laudata superius epistola ait depositionem Flaviani processisse ex quaestione fidei, intelligens videlicet orientales, si ratio haec abesset, non concessuros appellatori Flaviani, neque causae ejus revisioni consensuros.

VI. At Leo agnoscens quanta vis esset hujus rationis, epistolae suae inseruit canonem Sardicensem, ut ostenderet aequum esse post appellationem Flaviani ut nova synodus Romae haberetur, nihilque interrim innovaretur. Canones enim Sardicenses ab annis plus minus triginta in Occidente recepti erant, laudati à Zozimo tanquam à synodo Nicæna petiti. Cujus vestigiis inharens Leo, illos ex eadem synodo laudat: *Quam autem post appellationem interpositam, inquit, hoc necessario postuletur, canonum Nicæa habitorum decreta restantur, quae à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta, quaeque subter annexa sunt.* Exemplar hujus canonis extat in calce hujus epistolae, non quidem inter epistolas Leonis, sed in calce versionis Graecae quae extat in actis Concilij Chalcedonensis; ubi quoque descriptus est canon quartus Sardicensis, paraphrasticè tamen, & corruptus à librario. Et corruptio nem quidem jam alij deprehenderunt. Nemo tamen haecenus ei medicinam adhibere tentavit. Perturbatus est autem sensus canonis in his praecipue verbis: *Και διευκαρτέματο εν πόλι τῆς χειρὸν κωνσταντινου πόλις πρυματος.* Anxij sunt eruditi in investigando sensu horum verborum, *εν πόλι τῆς χειρὸν*, quae nihil significant. Ego verò existimo legendum esse *εν πόλι τῆς Ρωμῆων*: quae verba cum per abbreviationem scripta essent, erroris occasionem praebuerunt. Atque secundum hanc emendationem sic verti debet hic locus: *Et protestatus sit in urbe Roma negotium esse peragendum.* quod probatur ex ultimis verbis exemplaris hujus canonis, quae sic habent: *ει μη τῆς ἐκείσε κειτῶν δέχεται ἡ ὁρον.* Canon autem Sardicensis quartus jubet ne quis in locum Episcopi de-

positi substituatur priusquam Romanus Episcopus sententiam tulerit. Itaque necessarium est ut in eo exemplari voces *κεῖται ἐκείσε*, id est, *judices qui sunt ibi*, significant Romanos: quos tamen cum significare non possint nisi ratione habita verborum quae praecesserunt, necessaria est emendatio quam proposuimus, *εν πόλι τῆς Ρωμῆων.*

VII. Quæri potest quid intellexerit Imperator Valentinianus, dum scriberet Flavianum scripto appellasse Pontificem Romanum secundum morem Conciliorum. Illustrissimus Cardinalis Perronius hunc esse eorum verborum sensum putat, eam nimirum fuisse synodorum consuetudinem, ut appellationes admitterent ad Summum Pontificem; ac statim eam consuetudinem arcessit à canonibus Sardicensibus. Verum verba ipsa aperte repugnant huic interpretationi. Nam cum, ut docet Concilium Africanum, *quædam canone consent, & quædam consuetudine*, planum est Valentinianum, cum Flaviani facinus tribuit consuetudini, ejus originem non perere à canonibus Sardicensibus. Præterea non loquitur in singulari, hanc esse consuetudinem Concilij, sed Conciliorum in plurali, quod coërceri non potest ad solum Sardicense Concilium. Verum itaque sensum indicat vetus versio Concilij Chalcedonensis, quae habet: *Secundum solennitatem Conciliorum eum per libellos appellavit.* Verba enim illa, *secundum solennitatem Conciliorum*, respondent Graecis illis, *εν τῶς τῆς συνόδων.* Significant autem Flavianum appellasse, non solum viva voce, & in aures, ut acciderat Eutycheti, sed *per libellum*, hoc est, scripto, *secundum solennitatem Conciliorum*, id est, Conciliorum provincialium, à quibus ad synodos superiores appellabatur *per libellum*, id est, libellum appellatorium. Tametsi enim juxta leges liceat appellare viva voce *inter acta*, aut etiam scripto, libello videlicet appellatorio, in quo continebantur nomina ejus qui appellabat, tum etiam alterius partis, & sententia à qua appellabatur, nihilominus secundum morem Conciliorum appellatio fieri debebat *servatis scripturae solennibus*; quemadmodum docet hic locus, qui prorsus singularis est; retinuitque in contextu Graeco vocabulum istud Latinum, *Libellus*, quod appellationibus proprium est.

Epist. Valent. ad Theodot. part. 1. Conc. Chalced. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Vide supra cap. 6. §. 5.

L. 1. & s. ff. de appellat.

CAPVT VIII.

Synopsis.

I. Dioscori savitia affixit etiam Theodoretum Sc ij